

*Epitaphia in exequijs Mexici ductis Marchionis de Villamanrique, Pro-Regine Novæ Hispaniæ. Mexici 1619. in quarto.*

*Mexici obsequium solennissime proclamatis Catholicum Hispaniarum Regem Philippum IV. Additur hispano Historia carmine Mexicana usque à principio condita Urbis amplissima ab venientibus Aculhuacanis, generis primoribus, ad annum editti operis, scilicet 1623. Mexici, apud Didacum Garrido, in quarto. Opusculum hocce, rarum quidem inventu, habemus in Collectaneis nostris tom. 63. & titulus Opusculo datus ab Authore Mercurius, de quo meminere Betancurtius in Tractatu Mexicanæ Civitatis pag. 3. & D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis novissime addite col. 699. tom. 2. Itemque D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Nova tom. 1. pag. 133. Magni quidem non multæ molis Opus faciendum, quod poetice, qua haud friget, elegantia numeris, compendio potiora Mexicani capita Imperij resque, cum ab Indis, tum ab Hispanis gestas exhibeat ad finem usque primi expugnationis seculi.*

*Præterea, scripsisse majoris moliminis Librum ab citato Mexicanæ obediencie didicimus fol. 16. col. 1. ubi jam pridem multis à se confectum annis impendijsque memorat Opus de Imperiali Au-*

*stria Familia, quod, ut videtur, ineditum latet.*

433 FR. ARNALDUS BASA-SIUS, Natione Gallus, è Provincia Aquitania, in qua Seraphici P. instituta coluerat, in Apostolicam S. Evangelij Mexicam anno 1530 quæ tunc cœptabat, translatus, Domicilium nostris inter sibi constituit magno rei Christianæ apud Indos in Ecclesiam confluentes incremento. Theologiæ, in qua florebat, subsidium adjunxit idiomatis Mexicani brevi admodum à se tempore imbibiti, eo ut pro gentilium catechesei uteretur. Nec quidem sine fructu, quod assiduitate dicendi zelum animatum conjunxerit, in id sedulo incumbens, ne abjurata nuper idola pristinis altaribus restituta clanculû à neophytis, ipsis alijsque scandalo forent. Conveniebant tunc temporis frequentissimâ Indi coronâ in Primarias Franciscanorum Aedes Parochiamque S. Josephi Deigenitricis Sponsæ nomine hodieque insignem, pro sacris audiendis & excipiendis, quibus unâ cum socijs aderat Noster, qui præterea juvenes gentis latinis litteris instituendos præcipuas suas inter curas voluit, tanto quidem successu, ut inde natum fuerit Imperiale à S. Cruce nuncupatum Collegium, quod non ita post ad S. Jacobi de Tlatelolco conditum fuit pro Indis Grammaticâ, Rhetoricâ, Logicâ, & Philosophiâ imbuendis, in quibus

AR  
bus strenuam multi operam collocarunt, decorique Patriæ fuerunt atque Nationi, prout opportunis in Bibliotheca nostra locis sit palam. Noster primas Magisterij partes ibidem tenens multos latinè docuit. Post ad Quauhuitlam non longè distitum à Mexico Oppidum in Ordinis Cœnobio primus item Musicam Indis reddidit familiarem, cantorumque Choros instituit, non pœnitendis fructibus, ex inde ad nostra usque tempora promanantibus. Tandem ab animatum zelo egregijs comparatis meritis, atque cæteris conspicuus virtutibus diem clausit extremum in Conventu de Tulanzingo. Scripsit idioma Mexicano, politissimo quidem,

*Multos copiosaque eruditos Sermones.*

Præterea eadem donata lingua dedit

*Epistolas & Evangelia per annum in Ecclesia cantari solita:*

Quæ tamen usui esse jam nequeunt, proscriptis videlicet, justissimis de causis, Sacrorum Bibliorum translationibus ad linguas vulgares.

Meminerunt ejus egregiâ cum laude PP. Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. lib. 19. cap. 33. pag. 386. tum etiam p. p. 113. 114. 442. Editionis Madritana 1723. Betancurtius in Menologio ad diem 20. Augusti pag. 91. Item ad ipsam diem Martyrologium Franciscanum, &

Gonzaga in Conventu de Tulanzingo, Wadingus & Bibliotheca Franciscana tom. 1. pag. 141. Item Dominicanus Fernandez in Historiâ Ecclesiasticâ nostri temporis lib. 1. cap. 17. pag. 67. Leon Pinelus in Epitome Bibliothecæ Occidentalis editionis novissime tom. 2. col. 720.

+ 434 D. ATHANASIUS REATON PASSAMONTE, cujus incertum nobis est natale solum, exploratumque Domicilium Mexicicum, Mathematicis disciplinis conspicuus, publici juris fecit hispano sermone

*Artem minorem Arithmetica & Methodum ordinandi castra, frequentioresque pro Regnis Hispanicis supputationes perbrevis & claro stylo, ut etiam citra Præceptoris vocem discipuli valeant.* Mexici, apud Viduam Bernardi Calderon 1649. in quarto.

In Præfatione ad Lectorem testatur, 21 retro annis Facultatem Mexici obtinuisse imprimendi librum alterum, cui titulum dederat,

*Calculator generalis.*

In quo Arithmetica & Geometriæ multa tradiderat, amissumque in Hispaniam edendum minoris impendij gratiâ, adversis oceani fluctibus, & alijs sinistris casibus præpeditum, nondum ad Americam nostram remicasse.

435 F. AUGUSTINUS DE AVILA, Natione Hispanus, in Con-  
testanis ortus, apud Valentinos

nomen dedit Seraphico Parenti Francisco, unde in Goatemalensem ejusdem Instituti Provinciam à SS. JESU nomine nuncupatam se transtulit, in qua amplius 40. annis vixit tanta Sanctitatis opinione quam qui maxime. Sepe in extasim publicè rapti visus est, & celestibus Genijs circum adstantibus cohonestari. Porro nemini fuit scandalo, imò nec forsan admirationi, eo ipso, quo obierat, die, Virtutes ejus è sacro suggestu coram frequentissimâ multitudine celebrari, palamque dici, vix toto, quo latissime patet Seraphico Ordine, ab ejus conditore Francisco in eum usque diem Religiosum floruisse, qui aut perfectius Apostolica ejusdem Regulæ præscripta servaverit, aut austerius in se penitentij sæverit. Scripsit idioma Kiche dicto

*Librum de Christianæ Doctrinae explicatione.*

Quem in Bibliotheca Primarij Conventus Goatemalæ servari è Catalogo inde ad nos missio, fidelissimè quidem dato, ad numerum 7 compertum habemus.

436 D. AUGUSTINUS DE BARRIENTOS, Natione Mexicanus & Patria, nobilissimo clarus sanguine, quadriennium posuit in interpretandis Aristotelis libris ijs, qui Philosophiæ Professoribus committuntur expendendis in Mexicanâ Universitate, natus Cathedræ possessionem die 22 Februarij anno 1614. præ-

sentibus Scholasticis, ut sit, dimicationibus ipsum inter & alios egregij meriti candidatos. Scripsit

*Tractiones Philosophicæ.*

Ejus meminit Plaza in Chronicis Academicis lib. 3. cap. 17. num. 85.

437 D. AUGUSTINUS DE BECHI, Natione Mexicanus, Claris genitus Parentibus, lucem aspexit apud Urbem Americæ nostræ notissimam à Vera-Cruce nuncupatam jam inde ab inclyti accessu viri D. Ferdinandi Cortezij, illuc appellentis feria sexta in Parasceve, proptereaque opportuno & faustissimo omine ipsam compellantis à salutaris, in quo Redemptor noster triumphum egerat, Ligno, quodque insignes sibi Hispanisque militibus suis victorias in honorem ejusdem Assertoris ac vindicis hominum Christi pollicebatur. Hac Noster incunabula sortitus in Urbe gentibus multis frequentissima & navibus Americanis simul & Europeis, ad Portum, quo claret, advertentibus; Ipse, primis litterarum rudimentis formatus, genitorum jussione & curâ divertit Angelopolim primum apud Societatis JESU Collegia Latinitatem hausurus & Philosophiam, dein Mexicanum versus lacum intendens, proram puppimque sibi in studijs jurium constituit. Regale Divi Ildefonsi Collegium viridi, quæ insignem præ-

ferret

ferret honorem, trabeca donatus, multos annos incoluit, donec Academicis laureis minoribus in Philosophiâ, Civili & Canonico Jure, Doctoralem in hocce insulam, suffragantibus ejusdem professionis Doctoribus adeptus est. Tum, lactis initiatus, tuendis in Foro ecclesiastico juxta & prophano causis, ut mancipatos Deo viros decet, à Senatu Regio institutus probatusque est. Mineræ inter hæc castra sequutus; Candidatum se multoties pro regendis Cathedris dedit, eique Octovirorum suffragijs præfectus fuit, quæ Clementinis elucidandis Constitutionibus destinata est. Hanc semel & iterum tertiumque victor tenuit, ut subinde duobus exantatis quadriennis tertium jam pridè agens, ad Gratianicum & Perpetuum Suggestum Canonici juris merito evectus fuerit, cui operam navat in præsentiarum. Ulteriores ei sedes optamus & præmia, cujus interim Academicas insinuamus Elucubrationes. Scripsit, quæ ab annuis Universitatis monumentis accepimus,

*Commentaria in Selectas Clementinas.*

Præterea habet in Schedis *Prælectiones varias & Juris Allegationes.*

438 F. AUGUSTINUS DE BERTANCURT, Natione Mexicanus, Mexicum natale solum habuit nobilesque Parentes, quæ honestè educatus, litterarum

neris annis stadium arripuit, quod ad senectam usque dimensus fuit. Grammaticâ institutus & Philosophiâ, atque hujus in patriâ Universitate laureâ insignitus, Ordinem Seraphici P. S. Francisci in Provinciâ S. Evangelij de Oblervantia & Cœnobio Angelopolitano, nuncupatis votis, professus est. Ingenio ut erat comparatus ad multa, virtutisque admodum studiosus, ac nulli parens, honesto labori, injunctas sibi plures ornavit spartas, decorique Familiae, Ordini, & Patriæ fuit nequaquam exiguo. Sacerdotio initiatus, jamque Theologicæ Facultatis egregiè peritus, Cathedris præfectus, primum Philosophiæ, quam triennio docuit, deinde Theologiæ vacavit, cui tradendæ multos impedisse annos testis est nobis ejusdem Facultatis in Academia Mexicana Antecessor æqualis Nostri M. F. Michael de Aguilera, in Censura præfixâ Orationi, quam loco dabimus, de SS. Virgine Matre titulo de Columna. Adhæc, Concionatoris ita partes explevit omnes, auditoribus ut gratissimus esset, Doctis in primis, postque diuturnam operam in dicendo positam, Emeritus Prædicator audierit. Peritissimus in Mexicano idiomate si quis alius (cujus itidem Lector fuerat) Parochus canonicè institutus fuit Mexici sacra Indis administraturus ad S. JOSEPH, quæ intra septa Franciscanorum ædium surgit, Ec-

Hhhh

cle

clesiam, eo insignem nomine memoratūque dignam, quod prima fuerit Tenōstlani edificata pro Indis Paracía, ut nascentis Americana Christianitatis incubula jure dixeris, millenis conspecta natis in Christo, Principibus, Toparchis, Procēribus, Nobilibus, & absque numero popularibus. Nec hoc tantum illa titulo illustris, sed multis alijs. Quod videlicet primum in ea Mexicanum Concilium habitum fuerit, Præsīde Virō admodum Venerabili Apostolico F. Martino de Valentia, ut suis alijs opportunē locis notabimus: Quod Caroli V Cæsaris funus, quantū id tempus ferbat, pompā solenni inibi ductum fuerit, cuius extare editum antiquo caractere monumentum Author est Noster: Quod insolito pariter his in Regionibus apparatu Sacrum Fidei Tribunal publicam in hæreticos & de Religione suspectos animadversionem ibi instituerit: Quodque mox nominati Caroli Philippique II Hispaniarum Regum Schedis perinde quasi Cathedralis multis defuncta honoribus fuerit ac privilegijs,

439 Hanc ille annis totis quadraginta Parochiam sedulo rexit, cathechesi, prædicationi, cæterorūque administrationi Sacrorum invigilans, commissam sibi gentem charitate profectus paternā, & quæ decent strenuum Curionem officijs, atque

exemplis admodum religiosa vita, quam ad extremum usque octogenariæ ætatis traduxit. Inter has multi quidem negotij curas, haud minoris moliminis alias suscepit Libros scribendi varios argumento simulque idioma. Nam & latine aliquos, & alios hispanè, & nonnullos mexicanè elucubravit. Scilicet, Provincia S. Evangelij suæ Chronographus institutus ab ipsa, constitutusque à Reverendissimo Indiarum Commissario, ac demum Apostolicā præmunice auctoritate Innocentij XI Litteris ad id officij datis, injunctum sibi munus alacri animo acceptum, multis ad extremum vigilijs duxit, non Familiæ tantum historię contēndæ sollicitus, sed patrio etiā decori consulens, ejusdem & præfatas & recentes gazas in Theatrum adducens, quod & Naturalia America nostræ ob oculos ponit, & Politicā refert gentis sub Imperatoribus Indis, & Militaria: supersticiosam nimis, cui dedita fuerat delusa à malo demone, Religionem, & caligine in lucem evocat, ac tandem Hispano obsequentem nomini, & Evangelico circum donatam splendore, Catholicā, Apostolicā, Romanā Fide in dies succrescente, cæteraque virtute, bono in lumine collocat. Chronica Provincia suæ in extrema Theatri parte, ceu coronam exposcit, cui gemmarum instar pretiosas Vitas mortuorum Sodalium multorum

at-

aureo, insertas filo offert in Menologio. Isthæc sane omnia eruditionem viri plurimam redolent, Antiquitatisque Americanorum indagandi laborem improbum, insignemque studium in evolendis non modò editis id argumenti voluminibus, sed etiam Mss & abditis, quorum in vestibulo Theatri sillabum texit, ipsorum in Historia fidem secutus, & ipsis silentibus authoratam a prudentibus traditionem. Porro, si accuratori usus fuisset filo (ne hoc dissimulemus) majus operæ pretium fecisset, supercedisse tamen consulto politioribus scribendi formulis in Proæmio testatur, quod malet a Grammaticis carpi, quam non facili negotio à rudibus etiam intelligi. Edidit Opus istud hispano sermone, cui præfixit titulum

*Theatrum Mexicanum*, cujus tres priores partes complectitur tomus unus in folio. Mexici, typis D. Marię de Benavides, Viduę Joannis de Ribera 1698.

Alter verò tomus quartæ Theatri partem, complexus sic habet:

*Chronica Provincia S. Evangelij Mexicanensis*, Mexici, eisdem formis 1697 in folio: Scilicet postremā Theatri parte editione priores antecedente, Authoreque in proæmio præpositi ordinis causas dante.

Hiscæ Chronicis jungitur eodem volumine

*Menologium Franciscanum plurimum vitas Sodalium extens.*

Ad calcem ejusdem tomi addidit Scriptor ipse Tractatus duos, alterum de Mexicana, alterum de Angelopolitana primarijs America hujus Civitatibus.

Ut verò in Historia cætera Ecclesiastica hospes non erat, priusquam Americana Libros vulgasset, publici juris fecerat patrio etiam sermone

*Chronographiam sacram, Christi Domini Assertoris nostri Vitam, & Prædicationem Evangelicam exhibentem, locaque & tempora in quibus reparacionis nostræ mysteria operatus fuit indicantem: Omnipotentis operæ, gratiaque miranda in Deigenitrice Maria, atque Seraphico Parente Francisco, & Apostolica ejus Religione ponentem sub oculis. Mexici, ex supra memorata Typographia 1696. in quarto.*

*Artem pro Mexicana Lingua addiscenda.* Mexici, litteris Francisci Rodriguez Lupercio 1673. in quarto. Ad calcem hujus Libri adjecit Breves pro ministrandis Sacramentis institutiones Mexicano sermone, eodemque Doctrina Christianæ Cathechismum.

*Manuale pro Sacrorum administratione, unaque Apostolica pro Indis Privilegia multa.* Mexici, typis Lupercianis 1674. Iterumque eisdem formis 1682. Et rursus Hispanensibus Thomæ Lopez de Haro 1690. Denuo Mexicanis Francisci de Ribera Calderon 1729. in quarto.

*Epitomen vitæ, obitus & mirabilium Hispani Thaumaturgi S. An-*

tonij Patavini. Mexici, apud Franciscum Rodriguez Lupercio 1682 in octavo. Iterumque Mexici, Formis Josephi Bernardi de Hogel 1728. in octavo.

*Viam Crucis idioma Mexicano.* Eisdem litteris semel & iterum.

*Panegyricam Orationem de SS. Deiparente sub titulo de Columna.* Mexici, typis Lupercianis 1674. in quarto. Extat in Collectaneis nostris tom. 70.

*Panegyricam Orationem habitam publicâ causâ laetitia, quod Beihlemitica Societas America apud Goazemalenses nata, in Congregationem instituta erectaque fuisse Apostolicis Innocentij XI Romani Pontificis Litteris.* Mexici unâ cum ceteris ejusdem argumenti concionibus octiduo dictis, Festique descriptione edita à D. Petro Muñoz de Castro in libro, cui titulus *Exaltatio Beihlemitica rosa, &c.* Typis D. Mariæ de Benavides 1697. in quarto.

*Orationem in funere habitam Serenissima Catholica Hispaniarum Regina D. Maria Austriaca.* Mexici, eisdem litteris 1697 in quarto.

Atque hæc sunt, quæ hactenus invenimus edita Opera; in edita verò sequentia. Latino sermone.

*Historica narratio de incrementis gloriosis Provincia S. Evangelij Ordinis Observantia S. Francisci Mexicana Diœcesis. Vitaque 150 Sodalium, qui ab anno 1600 ad us-*

*que 1682 sanctitatis nomine florentes obierunt: Ad Generale Ordinis Capitulum dimissa, quæ Mantue Carpentanorum asservatur in Tabulario Familia generali, ut testis oculatus scribit in Bibliothecâ Franciscanâ F. Joannes à S. Antonio, quem tamen opinamur æquivocum passum, tria ex uno hoc Operè conficientem, & primo quidem Relationem historico latinam Provincia S. Evangelij ab anno 1600 ad usque 1682; dein, Historiam Mexicanae Provincia S. Evangelij; & tandem, Historiam quam plurimum servorum Dei Mexicanae Provincia S. Didaci ab anno 1600 usque ad 1681 recensentem. Quod enim postremam hanc concernit Historiam, suspicamur lapsum calami in nomine S. Didaci, ejus Provinciae, quæ Excalceatorum est, Chronica edita non ita pridem à Clarissimo viro F. Balthasare de Medina, Noster non semel memorat, erant que jam tum cunctis notissima; alto interea silentio premissa Histotiam à se conditam ejusdem Provinciae, quam in sillabum redeget suorum Operum, ipsam si aliquando adornasset, nec postmodum, supervacanco profus labore, credimus scriptum scripsisse, actumque egisse. Narrationem vero historico latinam ab Historia Mexicana Provincia S. Evangelij nullis distinctam lincamentis in eodem Nostri indice reperimus. Historiam narrationem Revir. à suâ perinde Vitris 150*

copulantis, quasi unum ex his illaque Opus formaverit. Et hæc quidem latine.

Hispanicè: *Epitome Moralium Resolutionum una cum Privilegijs pro Indijs ab Apostolica Sede emanatis, ad Sacramentorum ministracionem utile Curionibus Opus.*

*Tractatus de origine Officij divini.*

*Sermones Mexicano idioma pro Adventu & Epiphania Domini.*

*Vita SS. Deigenitricis Sponsi S. Josephi, & Christi Præcursoris S. Joannis Baptista, ex traditis à V. M. Maria à Jesu de Agreda erute hispano sermone.*

Meminerunt ejus, nec sine laudibus, Bibliotheca Franciscana tom. 1. pag. 151. & 152. P. Franciscus de Florencia in Libro de Mexicâ Guadalupanâ Deiparentis Imagine cap. 13. § 8 n. 162, fol. 77. Boturini in Catalogo Musæi Historici Indici pag. 22. n. 4. Leon Pinelus in Epitome Bibliothecæ Occidentalis novissimè additæ Martij 1738 tom. 2. col. 606. 732. 758. 797. 854. 860. 699. Nicolaus Rodriguez Franco, accuratissimus Editor Monarchiæ Indicæ F. Joannis d. Torquemada, è cujus officina prodijt anno 1723 recusum politissime admodum desideratum illud Opus eruditissimum. Nam & si in Proemio § 3. conqueratur de Nostro, quod Monarchiam Indicam abjudicaverit Torquemada, tradideritque V. P. Hieronymo de Mendiera,

ejusdem Familia viro etiam notissimo; cætera elogijs Betancurtio debitis glorieque non invidet, quem laudat ex meritis. Nec nos detractum iri credimus Betancurtij nomini, quod in ea cessipitaverit crisi, Homerusque licet bonus, dormitaverit aliquando, uti causam acturi Torquemada suo in loco dicemus. Alijs qui Nostri meminerint Scriptoribus patrijs supersedemus, quod omnes fere qui post ipsam historica elucubravit Opera, ejus non semel mentionem fecerint.

440 D. D. AUGUSTINUS DE CABAÑAS, Natione & cunabulis Mexicanus, patria Gymnasia Collegij Maximi Societatis JESU Universalitatisque postquam juvenis adijt gratiâ discendi, reportatis tandem ad docendum infulis illustravit, Magisterio Philosophiæ, Theologiæque Doctoratu conspicuus. Cathedras utriusque Facultatis tandiu Academico ritu Prælectionibus idque genus exercitijs petivit, donec Primarias tenuit: Nam & quæ Aristolis Libris Physicorum, alijsque naturalis scientiæ interpretandis destinata est, multos rexit annos Antecessoris perpetui munere, & in Primam itidem Theosophiæ eodem Moderatoris honore involavit de vexâ jam ætate, ut subinde hocce brevi officio defunctus fuerit. Metropolitanæ Ecclesiæ Mexicæ Sacerdotio quod Lectorale dicimus, fuit, & Diœcesis Examinatorem Synodalem

dit egit. Gravissimis præfuit cœ-  
ribus, Academiæ, scilicet, cui da-  
tus fuit Rector priusquam do-  
cendi provinciam in ejusdem Au-  
lis iniret: Congregationi Clerico-  
rum à S. Petro dictæ, admodum  
illustri & insigni, Abbatris titulo;  
& Primitivij nomine Sodalitati  
apud Patrem S. Veræ-Crucis  
florentissime, quæ à S. Francisco  
Xaverio nomen habet, cujus in-  
cluyt Apostoli Iconem multis ce-  
lebrem mirabilibus Ordinarij Ju-  
dicio & autoritate probatis,  
eximio religionis sensu populi ve-  
rantur & colunt in amplo Sacel-  
lo inibi seposito & multis orna-  
to; ut legere est in Libro *India-  
rum Apostolus gentium* nuncupato,  
Mexici edito typis Lupercianis  
1661, ejusdem Congregationis  
Xaverianæ nomine ab ejus id tem-  
poris Primitivio D. Mathia de  
Peralta Calderon in lucem emisso;  
scripto verò à V. P. Didaco  
Aloysio de Sanvitores Societatis  
JESU, quo tempore Mexici mor-  
rabatur, opperiebaturque naves  
Manilenses, in Philippinas Insu-  
las abiturus. Noster ad Fortuna-  
tas Cœlestesque, ut piè credimus  
appulit anno 1717 die 23 Mar-  
tij, postquam mortalis vitæ pel-  
agus navigaverat, christianâ virtu-  
te & eximiâ in omnes comitate  
ac urbanitate laudatus. Scripsit

*Commentaria in Libros Aristote-  
lis de Physico auditu & ausculta-  
tione.*

*Commentaria in Libros Aristote-  
lis de Ortu & Interitu.*

Quæ ex Academicis Libris no-  
ta sunt nobis, fuerantque jam  
pridem excipientibus calamo eo-  
rum aliqua, eo tempore quo Au-  
thorem è Cathedra dictantem  
audivimus. Theologica verò, quæ  
biennio non expleto tradidit è  
suggestu, silemus, quæ mox di-  
cta Academiæ monumenta invi-  
dent nobis.

441 P. AUGUSTINUS CANO,  
Natione Mexicanus, in ipsa Ur-  
be Mexico, splendidissima Fami-  
lia natus est, uti Bibliotheca Socie-  
tatis JESU habet, quæ & viri elo-  
gium pulcherrimum juxta textit  
atque gravissimum. Ipsi addictus  
Societati anno 1576 ætatis quin-  
to decimo, litterarum non mi-  
nori quam virtutum nomine in-  
signis evasit. Ut erat ingenio præ-  
ditus & acumine singulari, in-  
defessusque studio, humaniores  
excolens disciplinas Philosophi-  
casque, Magistros inter, quos Fa-  
milia nutrit egregios, spectabi-  
lem se facile præstitit. Sodalibus  
& exteris, qui plurimi ad Maxi-  
mum SS. AA. Petri & Pauli Me-  
xicum Athenarum confluunt,  
Rhetoricâ & amœniori instituen-  
tis eruditione ex munere inco-  
buit, cultiores ea in parte Socios  
multo post se intervallo relin-  
quens. Litteras verò sacras deinceps  
interpretatus est ad magno-  
rum invidiam ingeniorum, ut  
mutuatis à nuper memoratâ Bi-  
bliothecâ verbis utamur. S. Ec-  
clesiæ Doctorem Augustinum, à  
quo hactenus illi nomen, ut  
egre-

egregiæ pietatis sensu colebat,  
sic etiam ejusdem assiduâ Libros  
lectione pervolutabat, quibus se-  
cundum Divinos nihil dulcius aut  
sapidius habebat. Virtutum scho-  
lam à tyrociniij limine tanta ani-  
mi alacritate aggressus est, ipsis  
ut splendorem addere videretur,  
eximiâ, quæ se prodebat in vul-  
tu, verbis, incessu, corporeque  
toto, modestiâ, affabilitate juxta  
& comitate sociatâ, quæ se do-  
ctibus ijs qui cum eo agerent,  
aut ipsum cernerent, facili com-  
mendabat.

442 Grandior ætate, cresce-  
re in religiosâ visus est perfectio-  
ne, quæ altissima, demissione sui,  
jecerat fundamenta, de se abje-  
ctissimè sentiens, nec exempla  
tantum virtutis mendicans à So-  
cijs, sed Professor etiam, ab ijs in  
re litteraria juvari tyronibus op-  
tans, qui exercitationis ergo ita-  
tis in triclinio diebus dicere so-  
lent; ut propterea mirum non  
fuerit, si gravitati in agendo hu-  
manitatem jungeret, ab omni  
que fastu abhorreret. Orationi  
ex animo addictus, nocturno ei  
tempore largiori vacabat, & diur-  
nas, ut licebat per injuncta sibi  
negotia, horas lacris in templo  
meditationibus in genua provo-  
lutus impendere perjeundum  
ipsi erat: quamquam in conti-  
nuâ fere versabatur contempla-  
tione, presentem ubique Deum  
intimo fidei & amoris sensu re-  
cogitans. Adhæc, sapius laten-  
tem in Eucharistiâ Christi am ve-

neraturus superiorem chorum  
adibat, singulisque diebus, aut  
duobus, aut tribus Sacerdotibus  
ad Aras operantibus libens adsta-  
bat. Cura & studio corporis do-  
mandi, ipsum & cilicio conterebat  
& quotidie totis 40 annis  
sæva divexabat flagellatione. Bea-  
tissimam Deiparentem flagran-  
tissimo prosequutus amore, a cæ-  
teris ut similiter haberetur cu-  
rabat, publicis familiaribusque  
fermonibus ejus præconia cele-  
brans, pijsimosque audientibus  
sensus instillans. His porro reli-  
quisque exactè ad austeriorem  
vita normam subsidijs, castitatem  
ne dum perpetuò illibatam ser-  
vavit, sed quod perquam est ra-  
rum, nulla impugnatam sæda  
cogitatione, ut ij testati sunt,  
quibus abstrusiora hominis erant  
notissima.

443 Peractam sanctissimis  
moribus vitam pretiosa multis  
que cœlestibus cumulata delicijs  
mors excepit: nam ubi sacrum  
Viaticum coram habuit, eximia  
animi lætitia gestire visus est,  
& longè ferventius se ad proxi-  
mum agonem comparare: Sacra-  
mentali confessione semel &  
iterum animum expiavit, errata  
que condonari sibi ab astantibus  
socijs petivit, & Dominico cor-  
pore passus, ejusdem immori pla-  
gis, & Purissimæ Genitricis um-  
brâ protegi satagebat, utriusque  
veneratus Icones, quibus olim re-  
creari consueverat, sperabatque in  
extremo prælio juvari. Tū Sancto-  
rum

rum, quos in vita tutelares sibi  
asciverat & Patronos, nomina è  
libello, in quem illa retulerat,  
prælegi voluit, & pro extremo  
conflictu vocari. Christi è Cru-  
ce pendentis Imaginem intuens,  
sæpè ex animo repetebat: *Rex  
tremende majestatis qui salvandos  
salvas gratis, salva me fons pietatis:*  
atque in hujus arbitrium ex ani-  
mi sententiâ positus, oleoque  
inunctus sacro, placidissimè ex-  
tinctus est die 23 Septembris an-  
no 1622 in Collegio Vallisoletano  
Michoacanensium, cui tunc  
Rector præerat. Demortui vul-  
tus ridenti similis visus est, & ele-  
ganti specie nitere. Suprema fu-  
neris frequentissimâ multitudinè  
sunt peracta, Sanctum ipsum om-  
nibus conclamantibus, corpus  
que Regularium Ordinum Su-  
perioribus effertibus, atque Ec-  
clesiastico ritu mortualia officia  
celebrantibus. Scripsit

*Commentaria in Epistolas S. Pau-  
li, & in Cantica veteris & novi  
Testamenti.*

Quæ prælo parata reliquisse le-  
gimus in Societatis Bibliotheca  
Romanæ editionis 1676 pag. 94  
ubi & virti, quas diximus, virtu-  
tes commendat ac litteras, &  
scriptorum pretium ab stilo, fa-  
cundia, lepore, eruditione, re-  
rum amœnitatè & sacrorum tex-  
tum gravi ac speciosâ dilucida-  
tione. Meminit item ejus P. Flo-  
rencia in Menologio Provincia  
Mexicanæ, quod nuper auctum  
à P. Oviedo, recussum fuit an-

no 1747 pag. 171 die 23 Sep-  
tembris. *M. F. AUGUSTINUS CA-  
NO, Natione Hispanus, Syngilia,  
vulgo Antequera, Beticæ Civita-  
tè ortus, in Americamque dedu-  
ctus, Goatemala in præcipuo Do-  
minicanorum Cœnobio, Provin-  
ciæ S. Vincentij de Chiapa & Goa-  
temala Ordinis Prædicatorum  
dicto sacramento se addixit. Vir-  
tutibus insimul ac litteris floruit,  
Magisterio Sacræ Theologiæ apud  
Sodales ob strenuam navatâ Scho-  
lis operam insignitus: Doctora-  
tus quoque in eadem Sacrà Fa-  
cultate apicem tulit in Regiâ  
Goatemalensium Universitate,  
cui fuit percharus. Multa scrip-  
sisse reliquisseque inedita ab me-  
moratâ Patribus Provincia in ac-  
ceptis habemus: alia romano  
sermone, alia materno. Et lati-  
na quidem isthæc Opera memo-  
rantur.*

*Tractatum Theologicorum in pri-  
mam Divi Thomæ, Doctoris An-  
gelici, partem, & primam secundæ  
Tomi duo.*

*De Conscientia Tomus unus.  
Prospecta à Summis Pontificibus  
theses scholasticâ methodo expensa.  
Tom. unus.*

*Synopsis Propositionum damnata-  
rum. Tomus alter.*

*Cursus Philosophiæ ad S. Tho-  
mæ Scholam elucidata.*

Hispanâ autem linguâ com-  
posuit

*Opusculum de Communione quo-  
ridiana*

Hi

*Historiam Provincia S. Vincen-  
tij de Chiapa & Goatemala Ordinis  
Prædicatorum tomis duobus  
distinctam.*

*Chronologiam dictæ Provinciæ à  
M. F. Antonio de Molina, Goate-  
malensi, ejusdem Ordinis scriptam,  
additionibus locupletiozem.*

Authographa omnium, quæ  
recensuimus, extant partim in  
Archivio Goatemalensis Con-  
ventus Dominicani, partim in  
scrinijs Sodalium & manibus.

445 ILLMUS. D. M. D. F.  
AUGUSTINUS DE CARBATAL, Na-  
tione Mexicanus, Goadalaxaræ  
in Nova Gallæcia ortus est, quem  
Ægydius Gonzalez Davila in  
Theatro Ecclesiæ Panamensis Me-  
xicanum patriâ facit, sui autem  
immemor, in Theatro Ecclesiæ  
Goamangensis Hispanum scribit  
& apud Caeceres natum. Uero-  
bique tamen decipitur, fallun-  
turque cum eo alij, frequen-  
tius Mexicanum patriâ Augusti-  
num dicentes, quos latuit Goa-  
dalaxarenis origo; eam tamen  
Mss nos docent accuratissima  
monumenta & M. F. Didacus  
Bassalenque, in Chronicis Pro-  
vinciæ Augustinianæ Michoaca-  
nensis, scribens Nostrum Ordi-  
nè S. Augustini amplexatum fuisse  
& professum in ejusdem Goa-  
dalaxarenis Cœnobio. Litteris  
egregiè eruditus, Magister de-  
mum in Sacra Theologia fuit  
auguratus. In Europam à Pro-  
vincia sua negriorum causâ di-  
missus, adco se strenuè vestit ac

Sodalibus exterisque probavit, ut  
splendidissimum in Familia mu-  
nus Assistentis apud Præpositum  
Ordinis generalem adeptus fue-  
rit. Eo ubi fuerat, scitissimè fun-  
ctus, ab Hispanis constitutus fuit  
Prior Vallisoletani Conventus,  
quo tempore Pinciæ Regia erat.  
Inde Episcopus Panamensis in  
Americam destinatus Meridio-  
nalem, eò se contulit, & Catho-  
lico ritu sacratu, Ecclesiæ suæ,  
ut accuratum Pastorem decet,  
providit, instituto, quod à S. Au-  
gustino Parente suo nuncupatum  
voluit, Collegio, cujus alumni,  
juxta Sacrosancti Concilij Tri-  
dentini Decreta, Cathedralis ser-  
vitio incumbere, multisque  
alijs pro officio peractis, donec  
ex ea sede in Goamangensem  
promotus anno 1612 ei se de-  
mum mancipavit curandæ Diœ-  
cesi ad annum usque emortualem  
1620, ut Author est citatus Ægy-  
dius in Theatro Ecclesiæ Pana-  
mensis fol. 59 col. 1. Scripta  
ejus designare cupientes vestigan-  
tesque nos fugerunt, contentos  
innuere

*Opuscula Philosophica & Theo-  
logica, de quibus docti traditio-  
ne, nil præterea explicatius ad-  
dere possumus.*

Meminit ejus P. Bonaventu-  
ra Salinas Franciscanus in Me-  
moriali suo fol. 110 n. 189, &  
P. Bassalenque in Chronicis Pro-  
vinciæ Augustinianæ Michoaca-  
nensis.

446 D. AUGUSTINUS DE LA

Kkkk

CA-

CAXICA ET RADA, Natione, ut videtur, Mexicanus, Patria Goatemalensis, Doctoralibus inauguratus infulis, à Thesauris Ecclesiae ejusdem Urbis est; Diocesis que Examinator Synodalis, & Vicarius Generalis, pro Testamentis, Capellanijs, & Pij alijs operibus Judex: item Commissarius Apostolicus Subdelegatus Generalis S. Cruciatæ in eo Regno, Delegatusque pro Beatificationis & Canonizationis Causâ Servi Dei F. Antonij Margil à Jesu, Edidit

*Panegyrim à se habitam in Festo Deiparentis Virginis Patrocinij, qua die primus nuper erecta in Metropolitanam Goatemalensis Ecclesie Illmus. ac Rmbis. Archiepiscopus D. Fr. Petrus Pardo & Figueroa Pallio fuit convestitus.* Extat cum alijs ejusdem argumenti Orationibus & Opusculis in Libro eruditè conscripto, donatoque luci à D. Antonio de Paz & Salgado, Mexicanis typis D. Mariæ de Ribera 1747. in quarto.

*Historica enarratio terremotus, Goatemalam Urbem insignibus Templorum Adiumque multarum ruinis brevissimè succulentis anno 1751.* Mexici, ex Typographia Viduæ Josephi Bernardi de Hogal eodem anno, itemque Goatemalæ.

447 ILLMUS. D. M. D. FR. AUGUSTINUS DE CORUÑA, Natione Hispanus, ad Portum Brigantium in Gallecia natus, Salmanticae Augustinianis Patribus aggregavit se anno 1525 solen-

ni emissâ Professione in manibus fulgentissimi Hispaniæ fidei S. Thomæ de Villanova, religiosi eo tempore Præsulis. Philosophiâ eruditus atque Theologiâ, virtuteque haud vulgari conspicuus, Dei gloriam & salutem animarum promotorus in America nostra, que non ita pridem subjugari coeperat Deo, & Christianis institutis ritibus, socium se præbuit alijs sui Ordinis viris egregij meriti, eò tendentibus anno 1553. Ubi Mexicum devenire idioma imbibere gentis exorsus Noster laurum præripuit; quòd omnium Familia præstantior ea tempestate & doctor evaserit. Destinatus in Provinciam de Chilapa & Tlapa cum socio Fr. Joanne à S. Romano, lucem barbaris incolis Evangelij, quam non dum aspexerant, ut afferret, mirum dictu cogitatuque est, quanta fecerit & pertulerit. Populares, qui locustarum instar amplissimos illos tractus montes q̄ inaccessos inhabitabant, principidè benignè susceptum & auditum, haud multò post ad unum omnes declinabant fugiebant que, quòd & Procures & Sacrificuli publico in ipsum & Sodalium edicto conceptro, aquâ & igni interdixerint eis, subque capitali multa veterint ne quis audire illos, excipere, pascere ut cumque tentaret.

448 Non erant barbaris illis recta in unam Reipublicam faciem composita, non Villæ, non Urbes assue-

assuetis degere inter montana, & cavernas incolere, ut subinde homines religiosi illos indagaturi, hinc inde vel incendere prærupta, vel serpere cogentur, irritò quidem & incalsum labore, fugientibus aut latentibus miseris, Magnatum horrore percussis, cætera in Apostolicos viros pronis atque propensis. Ij animos nevitiquam depofuere, incredibili quamvis corporis defatigatione lassati, nec alio usi cibario, quam frumento indico (Maizium dicunt) quod ipsi sibi è segete obviam rapiabant (videntibus & dissimulantibus heris) igneque torrebant, imminentem quotidie mortem expectantes, integrasque noctes in precibus & meditationibus sacris ponentes, donec, Deo sacra Toparcharum corda emolliente, primum cæteris permittere ut adesse concionibus Patrum citra piaculum & metum valerent, deinde ipsi quoque auditoribus adungi ceperunt, tanto quidem successu, ut Fidei rudimenta capientes amplectentesque ex animo, salutaribus intingi aquis contenderent, nec in solenniorem demorari Baptisma diem vellent, uno sæpius hominibus centum & non nunquam quingentis ablutis. Scilicet, dæmon, qui familiariter cum illorum multis jam diu egerat, & quasi è Tripode loquebatur, pille taciturnior evasit, ex quo tempore nostri ad Aras facere Sacerdot. exor-

si sunt illa in Regione, & lastralibus aquis Indos aspergere.

449 Nostrum quidem illorum catechesi deditam & institutioni christianæ Apostolico ritu, mirum non videbitur, si dicamus eximijs à Deo charismatibus præditum fuisse, ut quæ inter mirabilia jure recenscantur, pataverit, cujus modi sunt illa quæ & scripto firmata legimus, & gentis traditione munita. Nimirum die quadam Natali Domini sacra & votiva, Chilapæ primum divina confecit Mysteria, deinde sex omnino leucis distans Oppidum Atliztac eadem ut operaretur adivit, & postremò Tlapam convenit novem à secundo dicto leucis distitam Pago, ubi tertio litavit; cumque singulis Missis longas adjecerit appendices concionandi; ministrandique Sacramenta; meridie tamem isthac omnia absolverat, quadraginta quinque millia pedes confecerat, confragosa & asperrima, si quæ sunt toto Orbe terrarum, prætervolans, quæ portò non nisi tridvano itinere hodieque à citissimis viatoribus trajiciuntur. At enim, ut id genus alia prætermittamus, tot illè cum Socio populos à Chilapæ & Tlapa ad littora usque maris Zurij sacra insperfit doctrinâ, omnique diligentia curavit, quanti deinceps 32 Religiosi & Clerici, duodecim Ecclesijs Parochialibus dati, ministeris suis excolunt.

450 Nec christianis, dumta-

rat moribus efformandos susce-  
pere, sed effingendos etiam huma-  
nis ritibus & politica societate,  
traductis è saltibus & tescuis ef-  
feratis hominibus in Oppida,  
tam ex latte & ad lineam con-  
dita, ut mox in Urbes excreve-  
rint despiciatui nevtiquam habi-  
tas. His Noster tandiu immora-  
tus est, quandiu Familia Recto-  
ribus visum fuit Mexicum ho-  
minem advocare, ejus operâ  
aliter uterentur. Theologia vi-  
delicet è Cathedra docendę ad-  
motum, uti Agydius Gonzalez  
Davila scribit, sexagesimo deci-  
mi quinti seculi anno veniente  
coactisque Provincia comitijs  
Oculmæ, ut apud Grijalvan le-  
gimus, ad clavum stare consen-  
tientibus suffragijs Patres gravis-  
simi decrevere. Ubi Provincia-  
lis fuit renunciatus, ferventi So-  
dales concione ad Apostolica hor-  
atus munia, quibus hæcenus in-  
cubuerant, rebus ipse publicis con-  
sulturus & Indorum institutioni,  
atque Ordini suo juxtâque Do-  
minicano & Franciscano, utrius-  
que Provincialibus comitem se-  
dedit in Hispaniam ituris. 1561  
451 Vix eò accesserant, cum  
Hispani Noster ab Catholico Re-  
ge destinatum cognovit se in  
Episcopum Popayani, quæ Pro-  
vincia sedet in novo Granata  
Regno, Meridionalis America  
portione nobilissima. Multis qui-  
dem egit, splendidum ut refu-  
geret munus, atque à se omni-  
illud deprecaretur. Patuit tamen

obedienciâ ductus, consecratusque  
Mantvæ Carpentanorum anno  
1562, statim ac licuit suâ se Ec-  
clesiæ regendâ dedit, quam to-  
tis annis viginti ad instar pri-  
mitivæ Ecclesiæ Patrum sanctis-  
simè administravit. De austerio-  
ri, quam ad id tempus traduxe-  
ret, vita, nihil remisit, indusio  
nunquam amictus, sed lancâ tuni-  
câ, nec calcæis usus, sed can-  
nabaccis nudos ceteroquim pe-  
des ut cumque fovens: arctus illi,  
impolitus, & è vili materia, pro  
more Sodalium qui Mexici age-  
bant, habitus: decubitus plerum  
que super tabulam & stragulum  
geminum: abstinentiæ verbera-  
tionesque in hebdomadam mul-  
tæ, ut Sociorum item mores fe-  
rebant: neque enim antiquius  
habuit aliud, quam ut initam  
Mexici vivendi rationem ad ex-  
tremum duceret, optimisque Re-  
collectæ Provinciæ illius institutis  
ac documentis pergeret, quæ  
etiam in docendo, hortando,  
concionando tertio quoque ver-  
bo adhibebat. Sacramenta alia  
que Ecclesiastica ministeria per-  
inde agebat, ac si parochialibus  
adhuc munijs Chilapæ insisteret,  
aviaque Tlapæ & termina  
pererraret. Baptismo suis ipse  
manibus innumeros propemodum  
abluit: Idola ijsque destina-  
ta colendis delubra, quæ non  
dum everti poterant, dissecit,  
proque imperio cum demone  
agens, quam longissimè prof-  
cripsit & amandavit vasser-  
ri-

rimum ac teterrimum hostem.  
452 Strenuam Dei promo-  
vendo cultui operam dedit, Ec-  
clesiæ nitorem, mundiciem, inque  
divinis officijs, quibus aderat fre-  
quentissimè in choro, gravita-  
tem atque modestiam in delicijs  
& curis habens. Popayami Cœ-  
nobium pro sui Ordinis Religio-  
sis à fundamentis condidit, in  
quod receptus & ipse, commu-  
nia cæteris peragebat officia, ip-  
sos in triclinio comitatus &  
choro, Episcopum insimul agens  
& Religiosum. Pro sacris Deo  
Virginibus Monasterium item  
erexit S. Nicolai de Tolentino  
nomine insigne, quæ Patrem  
se præstitit & Magistrum, ex-  
imio earum in christianâ virtu-  
te profectu. Adhæc, in alijs lar-  
gissimus elemosynis, eos in  
primis pauperes arctius comple-  
ctebatur, qui erubescerent men-  
dicare, quibus subinde apposi-  
tum sibi panem libentissime par-  
tiebatur. Singulis noctibus pecu-  
niarum rationes subducebat, ut  
quæ superessent, egeno consign-  
naret alicui, earumque spoliatus,  
quantum posset, dominio, cu-  
bitum iret, charitati juxta in-  
vigilans paupertatique. Quam  
hæc Deo essent placita cæcis  
etiam paruit clarissimè eventu  
mirabili. Lustrante enim Dicece-  
sim, domoque apud Timana, in  
qua hospitabatur, conflagrante,  
ubi ipse Indorum humeris aspor-  
tatus, ceu Anchises Enææ dor-  
so subnixus, incendium effuge-

rat, ne flammam reperere vere-  
rentur, eos monuit, pollicitus  
incolumes evolutos, ut stragulam,  
pauperem cætera, gemina tamen  
informis auri lamina, exiguâ li-  
cet, divitem, secum deferrent,  
subsidijs Monialium & descrip-  
torum in charta pauperum desti-  
natam; cui obsequentes adhor-  
tationi, illæsi penitus evasere, mi-  
rantibus, qui aderant, & qui  
audierunt postmodum cunctis.

453 Nec intra ditionis tan-  
tum terminos suæ, religiosæ mo-  
numenta pietatis & benignitatis  
excitavit, sed longius progressa  
apud Hispanos voluit & Mexica-  
nos, donatis Salmanticensi Con-  
ventui 14 millibus ducatorum pro  
extrauendo Collegio, & septem  
millibus pro Complutensti; Mexici  
autem & Angelopoli institutis ad  
Monasteria Ordinis perpetuis in  
Missas redditibus. Difficile subin-  
de creditu memini erit quod  
gravissimus vir Illmûs. D. D.  
Joannes Diaz de Arze, geminis  
& fide dignissimis testibus asse-  
verat in Proximo Evangelico  
tom. 2. lib. 3. cap. 13. f. 41.  
col. 2. Augustino scilicet nostro  
Urbem S. Fidei apud novum Gra-  
natæ Regnum inscijs omnibus  
ingrediente, sua sponte ac cam-  
panum omne festivo hilatiqûe  
tinnitu insonuisse, perinde qua-  
si dilectum Deo & hominibus  
Præfulem salutarer, excipiendum  
que humillimum præmoneret.  
Concilio Limentis II Provinciali  
anno 1567 celebrato adfuit cum  
cæ-